

SANCTUS LULLUS

MOGUNTINUS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM LULLUM.

(Ex Fabric. Biblioth. mediæ et inf. Latinitatis.)

Sanctus Lullus, sive Lullo, qui et Julius, Anglus, A seq. Aliquot ejus epistolas videre nobis contigit, post sanctum Bonifacium magistrum suum archiepiscopus Moguntinus ab anno 755 ad 786 vel 787: de quo Surius 16 Octob.; Lelandus, cap. 103; Baleus xiii, 56; Pitseus, p. 156; Serarius lib. iv., p. 371 inquit Flacius in Centuriis Magdeburg., sæc. viii, pag. 455, ut ad Osvitam, ad Leobgytham, ad Gregorium, ad Denehardum, ad Thuringos, ad Cœnam. Ex illis deinde nonnulla profert, quæ ibi videantur.

SANCTI LULLI EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

LULLUS DALHUNO.

(Anno Domini 752.)

Reverendissimo fratri Dalhuno, jam dudum magistro Lullus indignus diaconus, sine prærogativa meritorum diaconatus officio fungens, optabilem in Domino salutem.

Almitatis tuæ clementiam intimis precibus flagito, ut meæ mediocritatis carinam fulcire digneris tuis B almis oraminibus, quatenus tuarum orationum intercessionibus, seu pelta protectus, ad portum salutis pervenire merear, et piaculorum meorum in hoc tereno ergastulo veniam consequi, sicut jam præterito anni circulo, per Denewaldum fratrem nostrum, litterarum mearum portitorem, deprecatus sum. Ergo vilium munusculorum transmissio schedulam istam comitatur non tam digna quam devota mente directa. Similiter obsecro ut mihi Aldhelmi episcopi aliqua opuscula seu prosarum, seu metrorum, aut rhythmicorum, dirigere digneris ad consolationem peregrinationis meæ, et ob memoriam ipsius beati antistitis; et mihi per aliqua verba tuæ affabilitatis, indica, quid de istis valeat precibus tua fraternitas C perficere, quæ inhianter audire satago. Bene valentem te et proficientem in prosperitate dierum, et intercedentem pro me exopto longis temporibus.

Fama est fictilius cœnasse Agathoclea regem.

Atque abacum Samio saepe onerasseluto.

Fercula gemmatis cum pōneret aurea vasis,

Et miseret opes pauperiemque simul.

Querenti causam respondit: Rex ego qui sum

Sicanix, Igulo sum genitore satus.

Fortunam reverenter habe, quicumque repente

Dives ab exiguo progrediere loco.

EPISTOLA II.

INGALICE LULLO.

(Anno Domini 752.)

Claro atque charissimo Dei ministro Lullo Inga-

lice, indignus presbyter tuus, tamen per omnia devotus famulus in Domino optabilem salutem.

Litteræ namque prudentiæ tuæ et munera largitatis tuæ ad me usque directa pervenerunt, quibus diligenter lectis et consideratis, post præmissam pacificam salutationem, si bene intellexi, insinuasti nobis erga vos diversas molestias et tribulationes, quæ sæpe solent in hoc mundo occupare servos Christi secundum Apostoli sententiam: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur*; contraque omnia tentamenta, orationum nostrarum, qualiacunque sunt, adminicula humiliter postulasti; quod et omnis congregatio nostra pro vestra sospitate sedulo ad Dominum preces fundere studuit, et nunc, amantissime diacone, quia vicem rescribendo eruditionis tuæ scriptis, propter parvitatem ingenioli mei, digne debitum persolvere non potui, tamen scio quia vera charitas omnia sustinet. Hæc pauca verba rusticitatis meæ cum minimis munusculis, id est, quatuor cultellos nostra consuetudine factos, et calamistrum argenteum, et mappam uamam, per fidelem portitorem fratrem vestrum, imo nostrum Aldredum amabili præsentix tuæ tantum pro memoria charitatis transmittere curavi. Quæso fraternitatem tuam ut eo animo a te hæc suscipiantur, quo a me destinata noscuntur. Sed et intercessorem nostrum apud Deum, venerabilem Bonifacium præulem, omnis caterva fratrum nostrorum cum abbaterio in Dei dilectione salutare desiderat.

EPISTOLA III.

LULLUS LEORGITHÆ.

(Circa annum Domini 752.)

Sorori in Christo charissimæ Leobgytha Lullus exiguus servus, auctoritate domini Bonifacii discipulorum, in Domino salutem.

Non immemorem tuæ sagacitatis industriam æstimo evangelicæ sententiæ qua dicitur: *Beati pauperes*

sp.ritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. lila paupertas patienter ferenda est, eodem evangelista testante, qui ait : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Illud Davidici cum corde retinens, quia *secundum multitudinem dolorum tuorum consolationes Dei lætificarunt animam tuam.* Nec enim contemptui vel oblivioni tuam sinceram in Domino germanitatem deditam arbitreris, quamvis per interducias temporum corporali præsentia secernamur; neque in tuis necessitatibus fessum me esse ullo modo autumes, sed tantum diabolicæ fraudis astutia præoccupatum atque ministrorum ejus subdola insectatione fatigatum scias; et, juxta prophetæ dictum : *Tædet me vitæ meæ propter filios nequitia.* Quidquid autem necessitatus tuis desit, per Gundwinum diaconum reversurum indicato, suggere illi ut in laboribus meis non lassescat, quia valde rarus est qui tribulationes meas mecum participare velit. Vale in Domino, intercedens pro me tanto enixius quanto graviore angustia deprimor.

EPISTOLA IV.

LULLUS GREGORIO.

(Anno Domini 752.)

Claræ Christi Ecclesiæ lampadi luciferæ, meoque in doctrina divinæ legis devotissimo adjutori, Gregorio duplici presbyteratus abhatisque honore, cum præcedente propriorum meritorum suffragio, decorato, Lullus, extremus orthodoxæ matris, videlicet Ecclesiæ, alumnus, immarcescibilis charitatis, in angulari lapide utriusque testamenti, salutiferam salutem.

Fido gestante gerulo munera largitatis tuæ ad me usque delata pervenerunt, sed et suavissimæ benevolæ charitatis tuæ salutationes omne munus vincentes more solito pariter comitabantur, quibus auditis et perceptis, uberes Deo piissimo primitus egigratias ut decuit; et deinde fraternitati tuæ debitas reddidi grates, quia te in minore potestate fidelem sciebam, in majore citius fidelioem comprobavi. Comperto igitur prosperitatis tuæ successu æger animus utrumque egit : gaudebat de ascensione chari sodalis, sed contristabatur de divisione, quia hoc intolerabile apud homines videtur, dum is qui præ cæteris plus diligitur repente subtrahitur, quamvis pro certo sciam quod nulla terrarum spatia illos dividere possunt quos verus Christi amor indisrupto germanitatis vinculo nectit, teste Deo, ne videar adu-
lando fallere, quia te, Pater, quantum mentis possibilitas attribuit, interni affectus amore diligo. Hoc autem subnixâ prece humiliter obsecro, ut nunquam semel in Christo captam charitatem, desidia torporis, in nostro pectore frigescere sinamus, velut parvam scintillam tenuis ignis fulva cinerum favilla suffocatum, ne in derisum veniamus a prætereuntibus ceoptum ædificium considerantibus turris. Dicit Scriptura : *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit,* nec quilibet artifex de ceopto opere laudatur, sed de perfecto. Hoc autem meam mediocritatem quamlibet ætate juniorem, merito graduque minorem, scien-

tia inferiorem, absque ullo dubitationis scrupulo et servasse, et servaturam esse scito. De tua vero vite gravitate, mentisque stabilitate nihil dubito. Muniamus nos spirituali armatura juxta apostoli præceptum : *Orantes pro invicem ut salverur, quia multum deprecatio justî assidua,* Jacobo attestante, apud Deum valet; et eo diligentius huic insistamus, quo vehementius nos variis tentationum telis impugnari non igooramus. Dextera scilicet fortior lævam infirmiore adjuvare non cessat; et læva dexteræ, sicut ancilla dominæ, deservire non desinet. Id est, meam instabilitatem bonæ vitæ tuæ exemplis castigando, corrigendo, admonendo, quamvis absentem corpore, spiritu tamen præsentem, sicut tibi moris est, ad melioris vitæ perfectionem deducere non desinas, et ego tibi humili devotione, quantum vires suppeditant, fidelem famulatum in omnibus præbebo. Exhortatoria mediocritatis meæ verba, quamvis fatua et superflua videantur, obsecro ut non moleste a tuæ charitatis collegio recipiantur, quæ sola charitas exigebat scribere sine dictandi materia, quæ omnia vincit, sicut scriptum est :

Omnia vincit amor, et nos cedamus amori, ablata omni tumoris superbia. Hæc sunt suasoria verba quæ sine meo periculo dicere non possum, ut in hac temporali potestate et terrestri ditione, qua, auctore Deo, jam nunc uteris, dominicæ sententiæ semper memor sis sonantis : *Regnum meum non est de hoc mundo;* et illud apostoli : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Quibus verbis quid aliud innuitur, nisi aperte dixisse illum intelligamus : In illum nolite oculum mentis vestræ figere, quem quotidie ipsa ruina sua cernitis cadere, sed in illum tota mentis intentione aspiciate, illumque totis viribus diligite, qui ante omnia sæcula est, et per omnia sæcula immutabilis manet, qui futuro et præterito tempore caret, sed esse sibi semper essentialiter est. Quid est enim hujus mundi fugitiva felicitas, et caduca prosperitas, nisi vapor et fumus? Inter temporalem prosperitatem et æternam felicitatem multum distare quis peritorum ignorat? Discamus igitur hac temporali potestate frui præter æternam felicitatem, et in ejus comparatione nobis omnia vilescant. Vestimenta pretiosa, caballos farre pastos, accipitres, falconesque cum curvis unguibus, latrantes canes, scurrarum bacchationes, cibi potusque exquisitæ dulcedinis saporis, argenti auri que rutilantis pondera spernamus, ne sit mollis culcitræ pausatîo, molliaque cervicalia a viris potius exhibeantur, quam a flammeis puellis. Ante omnia, incauta familiaritas extranearum feminarum abscondatur, quia sæpe seducimur incauta securitate pejus quam aperta tentatione. Tumultuosam ministrorum multitudinem clandestina divinarum Scripturarum eloquia expellant, quia illa fovea omni custodia cavenda est, per quam plurimos miserabili ruina conspiciamus corruisse. Nam sæpe robustus miles infestissima telorum jaculatione eo fortius impugnatur, quo saviectus videtur. Quamvis hoc inisse te, negotium liquido no-

verim occasione lucrandarum animarum, et pro studio multipliciter servendi Deo, tamen memento quia mollem manum durus capulus exasperat. Quapropter, chare collega, jam dudum, et nunc pie præceptor, *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis*. Festinatio autem ad te veniendi, propter multiplicem tribulationem, quam jugiter, Deo gratias, sustinemus, mihi undique denegata est. Hujus muneris magnitudinem noli intendere, sed devotam mentem dirigentis intueri. Antiquæ familiaritatis fiducia freto libet mihi hæc epistuncula quamdam sententiam frequenter apud nos habitam, quando limpida dicta Dei communiter rimabamur, breviter tangere, nequaquam tamen ad tuæ puræ religionis personam pertinentem, cujus bene recordaris dum legitur, sed ad quemdam schismaticum nefandissimum pertinebat, qui semper jurare solebat nihil se terreni accepturum. Cum subito ex improvviso, velut novum phantasma, episcopus apparuit, hæc jam maxima ex parte futurum esse formidabo. Longioris sermone prolixitas legenti fastidium ne gignat (nam sapiens paucis utitur verbis, stultus autem multis fatigatur, sicut et ego), obsecro, istius epistolæ rubiginem emendando absterge, mei que erroris indulgentia detur. Deus tibi, quod ad salutem tuam pertineat, clementer inspirare dignetur; et cum grege tibi commissio incolorem Pastor pastorem te custodiat. Propria manu scripsi hæc. Observa quæ præcipiuntur et salvus eris.

EPISTOLA V.

LULLUS DENEARDO ET ALIIS.

(Anno Domini 755.)

Charissimis filiis Deneharo, Eanbertho, Winberto, Sigcherio, Sigewaldo, Lullus antistes in Domino salutem.

Admonemus vos ut rogetis omnes ubique Deo servientes, tam servos Dei quam ancillas Christi in provincia Thuringorum, universamque plebem, ut in communi misericordiam Domini deprecentur, quatenus ab imminente pluviarum flagello liberemur; id est, ut unam hebdomadam abstineant se ab omni carne, et ab omni potu in quo mel sit; secunda feria, quarta feria, et sexta feria jejunetis usque ad vesperum; et unusquisque servorum Dei et sanctimonialium quinquaginta psalmos cantet omni die in illa septimana, et illas missas, quæ pro tempestatibus fieri soleant, celebrare vos, presbyteri, recordamini. Misimus vobis nomina domini Romani episcopi, pro quo unusquisque vestrum xxx missas cantet et illos psalmos, et jejunium juxta constitutionem nostram. Similiter pro duobus laicis nomine Megenfrido, et Rabano x missas unusquisque vestrum cantet. Valet in Domino semper.

EPISTOLA VI.

ALREDUS ET OSGIVA LULLO.

(Anno Domini 755.)

Alredus rex et Osgiva regina Lullo venerabili episcopo nobis perpetuali amicitia copulato in Christo salutem.

Scripta beatitudinis tuæ simul cum muneribus litteris assignatis debita gratulationis reverentia suscepimus, maximasque omnipotenti Deo egimus gratias, quod te in tam longa peregrinatione desudantem, et in Christi agonibus decertantem, optata conservavit sospitati; et ideo revertentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum, sacrorum apicum attestazione, signamus, ac petimus uti quotidianis orationibus episcopatus tuus studium ac votum suum circa salutem nostram dignetur impendere. Nos quoque simul cum nominibus nostrorum amicorum, et propinquorum, quæ hic subscripta sunt, litterarum custodia facias contineri, orationibusque et missarum celebrationibus perpetuis Dei patrocinii commendemur. Eodemque modo de vobis, et de nominibus ad nos delatis, secundum vestram petitionem, facere curabimus, ut in cunctis monasteriis nostris ditionibus subjunctis perpetuis litterarum monumentis commendentur, et orationum subsidiis Deo quotidie præsententur. Illudque pietati nostræ satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de Ecclesiarum aut populi perturbatione sollicita est, quæ etiam ut fierent, Dei aliquo dispensationis consilio credimus esse provisa. Nostris quoque, dilectissime frater, legationibus ad dominum vestrum gloriosissimum regem Carl. obsecramus, consulendo subvenias, ut pax et amicitia, quæ omnibus conveniunt, facias stabiliter inter nos confirmari.

Divina majestas indefesso certamine pro Christi Ecclesia desudantem te conservare dignetur.

Parva munuscula tuæ dignitati admisimus, id est duodecim sagos, cum annulo aureo majori dono ad dotem.

EPISTOLA VII.

PIPPINUS LULLO.

(Anno Domini 755.)

Pippinus gratia Dei rex Francorum vir illuster domino sancto Patri Lullo episcopo.

Cognitum scimus sanctitati vestræ qualem pietatem et misericordiam Deus fecit præsentis anno in terra ista. Dedit tribulationem pro delictis nostris; post tribulationem autem magnam atque mirabilem consolationem, sive abundantiam fructus terræ, quem modo habemus. Est ob hoc, atque pro aliis causis nostris opus est nobis illi gratias agere, quia dignatus est servos suos consolari per ejus misericordiam. Sic nobis videtur ut, absque jejunio indicto, unusquisque episcopus in sua parochia litaniis faciat, non cum jejunio, nisi tantum in laude Dei, qui talem nobis abundantiam dedit, et faciat unusquisque homo suas eleemosynas et pauperes pascat. Et sic prævidere faciatis, et ordinare de verbo nostro, ut unusquisque homo, aut vellet aut nollet, suam decimam donet. Valet in Christo.

EPISTOLA VIII.

MAGINGOZ LULLO.

(Anno Domini 755.)

Sacerdoti Christi magnifico, reverentia pariter et amore non mediocriter amplectendo, Lullo episcopo

Magingoz, servus servorum Dei, perennem in Do-

salutem.

Scripturarum divinarum testimonio declarata veritatem esse Dominum Salvatorem, ac de ipso dictum esse per prophetam: *Quærite faciem ejus semper*, quam ob rem solutionem quæstionis alicujus quæ videlicet infirmitatis nostræ cognitioni facilis non est, a dignationis vestræ largitate id ipsum flagitantes multum desideramus accipere. Itaque constitutio matrimonii Christianorum in jungendo, vel separando, a Patribus tanta diversitate nobis videtur disponi, ut vix una et compar sententia ipsorum, nostræ pateat parvitati. Videntur namque concorditer Isidorus ac Hieronymus affirmare non debere adulteram teneri a viro, cui sociata, alteri se, more meretricis, adjungat, utpote quæ unam carnem nefarie dividens, indignam se et alienam ab honore connubii divinitus instituti reddiderit, et hoc esse præceptum et permissum a Salvatore, cum uxorem non dimittendam absque fornicationis causa præciperet. Augustinus vero cum sententiam eandem Salvatoris diuturna tractatione ventilasset, nihil planæ elucidationis, certe nostræ omnino teneritudini captabile, profert; sed hoc in extremo dicebat, quia quomodo præceptum hoc Salvatoris accipi debuisset, late operosissimam adhuc superesse quæstionem, commemorans vero mulierem ab accusatione Judæorum a Domino liberatam dicit: Non male illi vir mulieri licet in adulterium lapsæ conciliaretur. Beatus vero Leo papa feminam, capto ab hostibus marito, cogente solitudine, inculpabiliter alteri posse copulari cum desperaretur captus, et reverso forte priore, separatam a posteriore, principali restitui dicit; ubi notandum videtur quod statim destitutæ conjugii nubendi licentiam tribuit. Apud Isidorum vero vel Hieronymum proditio fœderis conjugalitatis matrimonium separat. Quid ergo supersit conjugii quem, vel quam, solitudo perurget, si et Isidori vel Hieronymi ac Leonis decretum jure creditur esse tenendum, nisi ut se matrimonio jungat alterius, me fateor ignorare. Bonitatis igitur vestræ dignationem, per charitatem qua Christus Dominus semper ubique membra sua sibi copulare probatur obsecramus, ut ignorantiam nostram ac dubitationem, sic Domino possibilitatem largiente, illuminare dignemini, ut audire a remuneratore perpetuo mereamini: *Euge, serve bone*, etc.

EPISTOLA IX.

MAGINGOZ LULLO.

(Circa annum Domini 755.)

Dominum in Christo summopere venerando Lullo p̄scopo Magingoz optabilem supplex in Domino sempiternæ beatitudinis salutem.

Scit plane sublimitatis vestræ prudentia quia contra discrimina maxima consiliorum adjutoris et integris et ex omni parte solidatis modis omnibus opus est. Notum vero fieri venerandæ charitatis vestræ

dignationi desideramus quia exitum sororis nostræ extremum spiritum agentis, mœroribus ac timoribus undique depressi, præstolamur, mortem videlicet carnis illius, instinctu naturalis conditionis, velut propria delentes, et pro animæ illius eventu incerto, et soli judici piissimo noto, et insuper familiæ loci illius tenerrimæ, et propemodum, sine ulla consilii firmitate, discissionem, vel (quod gravissimum est) animarum interitum pertimescentes. Quapropter magnitudinis vestræ pietati humili intentione supplicantes obsecramus per Christum Salvatorem resurrectionemque mortuorum, uti nobis supradictis cruciatibus afflictis quid post obitum illius sit pro stabilitate salutari monasterioli faciendum, prout, Domino juvante, colligere valeatis, litteris indicare per hunc nuntium non dedignemini. Sunt enim, sicut scitis, illic filiæ fratris nostri velatæ, in quas fortasse intentio ignorantium conversa est; sed nulla ex his adhuc vel ætate, vel sensus aliqua firmitate, ad suscipiendum tale pondus congrua poterit judicari. Et formidamus dispersionem inconsultam familiæ, nisi celeriter ordo ac stabilitas per abbatisam collocetur. Nec tamen vel intra cellulam, vel intrinsecus nos posse reperire credimus per quam vel verbo ac specie tenuis valeat cohærere, præter puellulas quas diximus, quibus maximum periculum suscipientibus, et nobis fortasse persuadentibus, formidamus. Quapropter iterata supplicatione per Christum Salvatorem obsecramus, ut nobis quod saluberrimum inter hujusmodi necessitates fieri creditis nobis revelare celeritate qua diximus nec dedignemini nec gravemini.

Valere beatitudinem vestram, et in Christo magis ac magis pro nobis intercedentes proficere integris certisque nisibus cordis optamus, officio Lulloni episcopo.

EPISTOLA X.

LULLUS PAPÆ.

(Circa annum Domini 755.)

Sancta, et regularia instituta canonica auctoritate confirmata tam episcoporum nostrorum venerabilium, quam etiam domini nostri regis Pippini, consiliatorumque ejus, manifesta ratione scimus conservanda. Quapropter charitati vestræ reticere non audemus quod in parochiam nostram, contra jus canonicum, a Willefrido presbytero quidam adductus est presbyter in alia ordinatus parochia, non consentiente antecessore meo sancto Bonifacio archiepiscopo, neque me successore ejus, qui et institutionis vestræ decreta contemnens, et in parochia nostra constitutus nostrum sprevit magisterium. Cognita enim canonum auctoritate, decrevistis ut omnes presbyteri qui in parochia sunt sub potestate episcopi esse debeant, et ut nullus eorum præsumat in ejus parochia aut baptizare, aut missas celebrare, sine jussione episcopi, et ut omnes presbyteri ad concilium episcopi conveniant: quæ omnia facere contempsit prædictus ille presbyter nomine Enred; et ideo secundum quod definistis. increpationis a me sententiam sortitus est.

Sed cum nec ita emendatus pœnitere de præteritis voluit, novissime, secundum canonicam institutionem vestram, excommunicatus est a me, et exinde a supradicto Willefrido susceptus est ac defensus. Vestra autem nunc de his charitas quod rectum sit ac justum judicet, et non solum de his, sed de omnibus quæ perverse male vivendo peregit, et hic manifestata reperiuntur. Abstulit enim mancipia et servos de ecclesiis sibi commissis, Fægenolphum servum nostrum, et duos filios ejus Rægenolphum et Amanolphum, et uxorem ejus Leobhruthe, et filiam ejus Amalhruthe, tradidit eos in Saxoniam, contra equum unum, homini nomine Huelp, quod ipse eos duxisset in Saxoniam. Willefridum vero supradicti Regenolphus filium transmisit ultra mare cum Enredo, et ipse eum dedit matri suæ in servitutum. Servum vero et ancillam quos Aoltrich dedit ad ecclesias nostras pro anima filii sui, supradictus Willefridus abstulit atque rapuit furtim. Nomen servi Thecdo, et nomen uxoris ejus Aotlind; Liudo vero servum nostrum Enred presbyter tradidit puero Akiberchtes de Effernace nomen Upbit, contra equum unum; et Erpwine servum nostrum aliis nescientibus furtim nocte abstulit cum nonaginta et quatuor porcis, quem Hredun delit ad ecclesiam nostram; et altera vice abstulit duos servos nostros Zeitolf et Zeizhelm, et primo quatuor boves nostros, secundo tres, et novissime octo vaccas cum septem bobus. Jumenta vero septem optima ætate quatuor annorum, quæ dedit Wenilo ad ecclesias, supradictus Willefridus abstulit, et multos alios equos inde nutritos, quos minavit ad Hamu'amburg. De auro vero et argento quod dedit Regenthryth filia Athuolphi ad ecclesias nostras, duas armillas aureas et quinque siglas aureas valentes pretio trecentorum solidorum, et aliorum fidelium virorum ac mulierum pretia Enred abstulit ab ecclesiis supradictis, non solum in auro et argento, sed etiam in vestimento, et armis, et equis. Sed quia longum est ut per ordinem replicemus omnia quæ raptâ sunt ecclesiis supradictis ac spoliatis, et quæ facta contra canonica instituta sunt, vestro sanctissimo judicio ascribimus emendanda.

EPISTOLA XI.

LULLUS OSWITHE.

(Circa annum Domini 755.)

Lullus exiguus atque humilis antistes Svithan ejusque subjectis.

Apostolicum præceptum est, Oswitha, ut gregem Domini sollicite servando pascamus, ne absque ovili repertus, luporum morsibus pereat. Hoc quidem te egisse, et acturam esse confidens, quæ a sanctissimo viro Bonifacio martyre Christi, ejusque discipulis, regularis vitæ disciplinam suscepisti, putabam juxta modulum intelligentiæ tuæ; sed (quod tristis ac mœrens dicere cogor) longe aliter fecisse comprobaris, quæ, neglectis animabus, pro quibus Christus mortuus est, de quarum vita redditura es rationem in die judicii ante tribunal Christi, dum sacro palliatis feminas N. et N. contra statuta canonum, et sanctæ

regulæ disciplinam, sine licentia et consilio meo, ac injuriam Dei, ejusque matris beatæ Mariæ semper virginis, cujus famulatum exhibere debuerunt, in laqueum diaboli propter arrogantiam ac voluptatem laicorum explendam, ad perditionem animarum suarum, liberas ire permiseris in longinquam regionem, non recolens illud evangelicum: *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo n. foveam cadunt.* Et illud: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Sed ne forte hanc meam objurgationem parvi pendens contempnas, apostolico te sermone percutiam, quo ait: *Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* Pro hujusmodi stultitia excommunicatam te esse scias cum omnibus tuis qui hunc negligentiam reatum consentiendo perpetraverunt, usque dum digna satisfactione hanc emendetis culpam. Illas autem vagas et inobedientes supradictas feminas, intra cellam vestram non recipiatis, sed foras monasterium excommunicatæ ab Ecclesia Christi secedant, pœnitentiam agentes, dum venerint, in pane et aqua, et vos similiter abstinendo ab omni carne, et omni potu qui melle indulcoratur, scientes quod si spernitis istam increpationem, quod spernatis eum qui a Deo missus est peccatores salvos facere, id est Christum, qui dixit in Evangelio: *Qui vos spernit me spernit, qui autem me spernit spernit eum qui me misit,* id est, Deum Patrem omnipotentem. Optamus in Christo ad meliora vos converti.

EPISTOLA XII.

CUTHBERTUS LULLO.

(Circa annum Domini 756.)

Reverendissimo fratri et in amore Christi charissimo Lullo coepiscopo, simulque cooperatoribus tuis episcopis et sacerdotibus Dei, quorum nomina in libro vitæ scripta teneantur, Cuthbertus, servus servorum Dei, cum aliis consacerdotibus Christi et presbyteris seu abbatibus, æternæ prosperitatis ac pacis in Domino salutem.

Profitemur igitur, charissimi, sincerissima intentione coram Deo et electis angelis ejus, quia quondocunq; vestram dilectionem pacis ac prosperitatis proventum et sanctæ religionis in Christo profectum, sacræque exhortationis fructum de aliorum conversatione abundantius habere, rumigerulis referentibus, audimus, quod inde satis gaudentes et pro vobis obnixius orantes læti gratias agimus largitori bonorum omnium Deo. Quando igitur aliqua religioni vestræ injuria facta, aut aliquod irrogatum narratur damnum, mœror et tristitia nos cruciat, quia nimirum sicut gaudio vestro in Christo congaudemus, ita et adversitate pro Christo contristati compatimur. Non enim aliquando in memoria nostra obliterari possunt diversi atque indefessi tribulationum angores quos, ut viscera nostra, vos ipsi cum Deo dilecto Patre nostro beatæ memoriæ Bonifacio martyre, inter persecutores paganos et hæreticos, atque schismaticos seductores, in tam periculosa ac ferocitate plena peregrinatione, pro amore æternæ patriæ, longo tempore, sustinebatis; et qui illo,

scilicet per agonem martyrii, cum suis plurimis domesticis, ad æternam cœlestis patriæ quietem gloriose feliciterque migrante, vos, qui superstites talium estis, forsitan eo periculosos ac difficilios inter diversa tentamenta conversamini, quo tanto Patre, et doctore ad præsens vos orbatos esse constat. Et quamvis hinc quædam mœstitiæ amaritudo nostra discruciat valide præcordia, tamen hujusce doloris gemitum quædam sæpius ad memoriam rediens nimix ac novæ exsultationis hilaritas jucundat ac mitigat, dum frequentius recolentes, admirabili vel potius ineffabili Dei pietati tripudiantes gratias agimus, quod tam præclarum, speculatorem cœlestis bibliothecæ, tamque egregium Christi militem, cum multis bene educatis et optime instructis discipulis, gens Anglorum advena, Britannia, meruit, palam omnibus, ad spirituales agones, et ad multarum, per Dei omnipotentis gratiam, salutem animarum, de sese procul laudabiliter emittere, ut longe lateque ferocissimas nationes per devia diutius errantes, de lata ac spatiosa voragine perditionis perpetuæ ad splendidissimas semitas supernæ patriæ, per sacræ exhortationis incitamenta, et per exempla pietatis ac bonitatis, ipse ductor et signifer antecedendo, et adversa quæque, opitulante Deo, fortiter expugnando, feliciter perduceret, quod ita actutum veraciter fieri, etiam rerum effectus gloriosius quam dicta demonstrant; et in illis quoque locis, quos ante eum nullus aliquando, evangelizandi causa, doctor adire tentabat. Unde igitur post incomparabile toto orbe apostolicæ electionis et numeri mysterium, aliorumque tunc temporis evangelizantium discipulorum Christi ministerium, hunc inter egregios et optimos orthodoxæ fidei doctores et amabiliter habemus et laudabiliter veneramus. Unde in generali synodo nostra, ubi et de cæteris omnibus quæ vestræ modo sanctitati paucis depromimus, plenius inter nos conferebamus, ejus diem natalitii, illiusque cohortis cum eo martyrizantis, insinuantes, statuimus annua frequentatione solemniter celebrare, utpote quem specialiter nobis cum beato Gregorio et Augustino et patronum quærimus et habere indubitanter credimus coram Christo Domino, quem in vita sua semper amavit, et in morte, ut ipsius meruit gratia, magnifice clarificavit. Præterea quippe, ut prædiximus, vestræ sollicitæ speculationis curam, et quasi lædio absentati patrisfamilias, ut ita dicam, quodammodo confectam, necnon et generalitatem subjectorum vobis servorum Dei, paternis affatibus fraternisque solatiis, relevare et consolari, ubicunque et in quocunque negotio prævalemus, fatemur nos semper esse paratos. Unde in primis ad confirmationem dilectionis quam erga vos habent penetralia cordis nostri, sermone affectuque apostoli utamur, et cum apostolo simul dicamus: *Gratia vobis et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ, et laboris, et charitatis, et sustinentiæ spci Domini nostri Jesu Christi, ante Deum et*

A *Patrem nostrum.* Quod enim jam olim, vivente venerandæ memoriæ Bonifacio, per scripta nonnulla, et per fideles internuntios, æque conditum esse constat, idipsum semper revocare ad invicem satis necessarium ducimus, hoc est, ut mutux pro nobis nostrisque et hic viventibus et hinc obedientibus interpellationes, orationes, missarumque remedia, ad viventem Deum et judicem omnium suppliciter agantur, juxta apostolica monita: *Orate, inquit, pro invicem, ut salvemini,* et reliqua. Hoc enim modo nobis divinam clementiam complacere dignoscimur, offerentes ei orationum pura libamina. Sic nobis eandem prosperantem inveniemus in adversis. Et enim ubi Domini, juxta ipsius promissa, præsto est adjutorium, cuncta fugatur malignorum adversitas.

B Ipse enim dixit: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est.* Hoc enim sagaci solertia studiosius ideo agendum esse judicamus, quia, juxta apostolica præsentia, instant nunc *tempora periculosa,* et reliqua, quæ ipse in eadem prosequitur Epistola. Et quia non est opus scribere vobis de exterioribus calamitatum incursibus, quas frequenter, ut reor, passi estis, id est, persecutionibus, rapinis, odiis, et scandalis, et his similibus. Cæterum, ecce quamplurimis in locis Christianæ religionis valide status vacillat, dum pene uidi-que exterius interiusve rerum ecclesiasticarum perturbatur ordo, novellarumque conversationum pravæ ubique pene succrescunt sectæ; nec mirum, dum, post videlicet positis antiquorum Patrum decretis, ac legibus ecclesiasticis relictis, multi juxta proprias adventiones, prava et plurimorum nociva salutis sentiunt, affirmant, atque agunt, ut scilicet transacto anno a quodam magnæ auctoritatis viro dictum et gestum esse constat. Ad hæc autem nos, ut timeo, pusillanimes, et minus zelo justitiæ accensi, quid aliud in primis agere debemus, quam ut indesinenter suffragia sanctorum postulemus apostolorum, martyrumque Christi, ac venerabilium antistitum Ecclesiarum Dei, ut in hoc, quod vocati et constituti sumus, continuis excubiis, Christi gratia nos faciat perseverare, et ut non simus reprobi, sed magis accepti, non desides, sed solertes, non dispergentes, sed congregantes quoscunque valeamus ad uanimitatem Christianæ religionis, et unitatem ecclesiasticæ conversationis, quatenus ministerium nostræ dispensationis et laboris solertia ad laudem et gloriam Dei omnipotentis proficiat, ut cum bene servientibus ac placentibus Deo quandoque mereamur audire: *Beatus servus quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem! Amen dico vobis quod super omnia bona sua constituet eum;* et ad hæc, frequentius ad memoriam, exempli causa, revocemus recordandæ memoriæ egregius magister et martyr beatus Bonifacius quomodo vel quanta solertia laborarit in doctrina Christi, quanta pericula atque difficultates pro amore Christi et animarum lucro, etiam

usque ad ipsam mortem, libenter tolerarit. Et quia A
 Omnipotentis modo familiaris factus est, prudentia vestra solerter attendat, si ejus vos oporteat sacris admonitionibus consentire, et pietatis illius exempla pro viribus sequi. Ille enim quantum illius domesticus factus est quem amavit ante omnia, tantum majora apud eum poterit obtinere. Unde quippe si aliqui subjectorum illius, quibus eum quondam divina dispensatio magisterii loco profecit, ab ejus documentis spiritualibus dissentiant, vel prava conversatione recedunt, qui defensor illorum in æterno judicio esse potuit, sit potius accusator, et rationes ab eis cum ipso iudice districtius requirit. At vero, e diverso, quicumque illius sacræ institutionis ac doctrinæ normulam rite consequuntur, pro certo se sciant, et ipsius Romanæ atque apostolicæ Ecclesiæ, a qua legatus eis et doctor directus est, ac deinde, pariter cum ea, omnium nostrum habere et viventes et morientes in oratione et missarum celebratione, ut supra diximus, perpetuam communionem, si tamen usque ad finem firmam vobis dehinc doctoribus et rectoribus suæ salutis, humiliter atque amabiliter, pro Deo et æterna mercede, non dedignantur obedire, non deficientes aliquando, ut indevoti vel subdoli, sed semper ut bonæ indolis discipuli proficientes, et fideliter adhærentes suæ militiæ in Christo magistris, ad palmam supernæ vocationis Dei et gloriam regni cælestis. Hæc salutatoria vestræ sanctitati scripsimus verba, non quasi ignaris aut indigentibus nostræ rusticitatis normula, sed charitatis atque communionis [communionis] mutuæ gratia, contestantes et obsecrantes per omnipotentem Deum et Filium ejus Jesum Christum, et adventum ipsius, et regnum ejus, ut vos, o charissimo, cuncti generaliter cum subjectis vobis in Christo per omnia sitis semper ad invicem fideles adiutores, et unanimes cooperatores, contra omnes orthodoxæ fidei inimicos atque hæreticos et schismaticos, ac nequissimæ conversationis homines. Per hoc enim eritis bonis hominibus amabiles seu laudabiles, et Deo omnipotenti acceptabiles atque chari; et ita, cum ipso præfato beato Patre, et prædecessore vestro, felicem in futuro vocem a iudice cunctorum Christo singuli mereatis audire: *Euge, inquiet, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Amen.*

Omnipotens Deus vos omnes diu incolumes in suo sancto amore et timore custodire dignetur.

Dilectiss. FF. ac filiis,
 Cuthberchtus archiepiscop.,
 Lullo coepisc.

EPISTOLA XIII.

CYNEHARDUS LULLO.

(Anno Domini 756.)

Domino dignissimo, venerando, et merito insigui ac præstantissimo, longe lateque pro Christianæ religionis prædicanda doctrina diffamato, et pro conversatione vitæ probatissimæ celeberrimo, nobis

quoque non immerito, ob cognationis nostræ semper memorandæ necessitudinem, charissimo, Lulle episcopo, Cineheardus indignus, ut vereor, episcopus Wentanæ civitatis, ex intima visceralium medullarum affectione, æternaliter in Christo salutem.

Perlectis litterarum a tua sanctitate directarum dulcissimis ac nimium placabilibus periodis, in quibus amicablem nostram parvitatem comperimus salutatam admonitamque, ut eandem unitatis observantiam custodiret, quam antecessores nostri fideliter sine tenus observarunt, Dominus Bonifacius archiepiscopus, Christiane confessor beatificandus, et Daniel doctissimus Dei plebis famulus, simul et successor ejus Hunfrithus episcoporum mitissimus, etc., quæ te melius recoluisse credimus, in caraxatis commendata, mentis diligentissima indagine didicisse curavimus, et gratiarum actiones condignas in quantum sufficimus persolvendo gerimus, quod nostri memoriam, interpositis tantarum spatiis terrarum, marisque magni interluente latitudine, facere dignemini. Et hoc profitemur, quod omnia quæ, tua sanctitate suggerente, mandata sunt, studiosissime, Domino favente, complere satagimus, non tantum in spirituali orationum solatio exhibendo, et missarum solemnitate celebranda pro vobis, et pro illis qui in vestris regionibus in Christi consensione obeunt, sed etiam si qua sæcularis substantiæ solatia vestris usibus profutura in his regionibus adipisci poterimus, vestræ participationi parata erunt. Et hoc petimus, si qua apud vos solamina nobis necessaria, vel ignota, spiritualis quidem scientiæ, sive in libris antiquis, qui a nobis non habentur, sive in aliis ecclesiasticis administrationibus, ut nobis libenter participare non negotis. Necnon et si quos sæcularis scientiæ libros nobis ignotos adepturi sitis, ut sunt de medicinalibus, quorum copia est aliqua apud nos, sed tamen segmenta ultra marina, quæ in eis scripta comperimus, ignota nobis sunt et difficilia ad adipiscendum; vel si qua in aliis quibuslibet negotiis, vel speciebus nobis necessariis provideatis, communicare dignemini, ut fecistis villosam mittendo. Nomina quoque presbyterorum vestrorum diaconorumque, ac monachorum, vel monacharum, sive cæterorum, quæ misistis, per monasteria et per ecclesias nostræ diocesis direximus ad celebranda pro eis missarum solemnia, et orationum suffragia. Id ipsum facere vestram sanctitatem suppliciter exoramus pro eis, quorum nomina vobis habemus dirigenda, et nominatim cum personis suis scribenda, eorum scilicet qui mihi proprie atque huic Ecclesiæ, cui servio, amicissimi, vel subditi fiebant, vel prælati. De nostro quoque vili vestitu parva hæc xeniola direximus tuo cultui, quamquam indigna, tamen petimus, accommoda, hoc est, tunica lanea, aliaque linea, sicut mos est apud nos habendi, caligas et peripsemata, orarium,

et coculam, et gunnam brevem nostro more consutam, ad indicium plenissimæ dilectionis nostræ. Quæ te suscipere pro tua humilitate obnixe precamur, habereque ad memoriam mei nominis, saltem aliquod spatium temporis. Cæterum si quæ sunt tuæ sanctitati insinuanda, portitor hujus epistunculæ viva voce valet enarrare.

Opto te, o charissime frater, orantem pro me orante pro te, in Domino bene valere, felicemque ævo longiore victurum, ad coronam cœlestis gloriæ postea perventurum, Domine insignis, et Pater præstantissime. Amen.

EPISTOLA XIV.

ÆARDULFUS LULLO.

(Circa annum Domini 756.)

Reverendissimo nobisque omnium episcoporum charissimo Lullo, coepiscopo Æardulfus Hrofenensis ecclesiæ antistes, cum sanctæ ecclesiæ filio Æardulfo rege Canticæ, sinceram in Christi nomine salutem.

Veracium igitur sociorum inter alia amicabilis memorialisque mos esse dignoscitur, cum sese, ob interjacentium terrarum spatia, seu provinciarum exterarum regiones, præsentialiter nequeunt invisere ac salutare, certe per suos fideles nuntios, sive etiam per litteras ad invicem salutationis dirigere verba, et de rebus dignis atque utilibus tractare, ne mens, scilicet, sollicita quid de statu amici divina dispensatione et judicio agatur, vel tædio diutius afficiatur, vel anxia rerum incertitudine quotidie gemat. Quocirca in primis diligentem salutantes, per hunc gerulum, visitantes emineantiam vestram, desiderium quippe habentes audire et nosse eandem gloriosissimum prosperumque per omnia profectum habere, hoc modis omnibus optantes, ut nos ipsos nostrosque charissimos vestræ beatitudini subnixis commendemus precibus, ut in vestris sacris ac Deo placitis orationibus, et suffragio vestræ paternæ pietatis undique, auxiliante Deo, muniti, atque muro protectionis vestræ circumdati, contra omnes infestationes inimici in hac vita, quæ tota tentatio est, defensi, et ad illam quæ morte vacans et sine carens, vestris almīs intercessionibus, pervenire mereamur. Misimus vobis parva xenia, id est replem ruptilem unam, deprecantes obnixe ut amorem mittentis magis quam censum perpendatis, ob spem meliorum, quod celerius sit orantibus vobis, si Dominus vitam et vires concesserit. Memorcs enim sumus verborum omnium quæ ex abundantia cordis vestri prolata nostris auribus sonuerunt adimplenda, quæ quantum ames amantes te ex omni parte declarabant. Quid enim aliud nobis agendum est, nisi ut charitatem quoad, Deo disponente et finem cunctorum considerante, omnes advixerimus, fideliter ad invicem custodiamus. Præterea nihilominus et deinceps dum aliquis e nobis alterius vitæ vias, ut opto, felices prior ingrediatur, en superveniens sine mora, missis et elemosynis, itiner illius hinc

A et inde quantum valeat tueri ac prosperum facere sæpius reminiscat ac studeat, obsecrantes obnixe, ut per hunc fratrem nostrum fidelissimum presbyterum, nomine Læaroredum, scripta pietatis tuæ ad nos dirigere digneris, quatenus per hæc earum quæ tibi placita sunt rerum cognitio clarescat, quia habetis sine dubio in eodem præfato presbytero veridicum fidelemque inter nos legatarium; et ideo per illum valebis quæcunque, vivæ vocis attestazione, nobis patefacere. Præcedentium quoque nomina propinquorum nostrorum, id est, Irmigi, Noththry, atque Dulichæ, omnes Deo dicatæ virgines, tibi direximus, postulantes ut in oblationibus missarum et orationum suffragiis habeatis, quia similia nobis ad invicem beneficii rependere parati sumus.

B Deus te incolumem custodiat, et in ejus ministerio pollentem longa per temporum spatia custodire dignetur.

Æardulfus episc.
Lullo coepisc.

EPISTOLA XV.

MILREDUS LULLO.

(Circa annum Domini 756.)

Domino amantissimo et in Christo charissimo Lullæ episcopo Milret servus Deo servientium.

Postquam a tua præsentia et a conspectu corporali sanctissimi præsulis et beatissimi patris Bonifacii, nolens, volens, tristis abscedebam, et per varios casus, et multa discrimina rerum, vestris almīs orationibus, ad terram nostræ pervenimus nativitatis. Ibi nec dum integro expleto anni circuli curriculo, nuntium ad nos perlatum est triste, beatissimum Patrem de ergastulo carnis ad superna migrasse; si tamen id triste dicere fas est, cum talem ad cœli patronum meruimus præmittere regna, cujus nos sacris intercessionibus, Deo auxiliante, ubique esse suffultos certa credulitate confidimus. Et quamvis præsentis vitæ amissum solatium multis et amaris luximus lacrymis, tamen ille qui, suo sanguine fuso, Christo consecratus est martyr, decus et columen omnium quos præsens protulit patria, suo beatissimo agone, optimo labore consummato, gloriosissimo fine peracto, nostra valde mœsta majore lætitia mitigat et demulcet pectora. Nos nostram dolemus vicem in valle lacrymarum, et in hac vita, quæ tota tentationum plena est, manentes; ille, peregrino labore magno cum sudore expleto, ad gloriosissimam Christi martyr pervenit mortem, et pro nostris, ut credo, excessibus, si Domini sinit pietas, fidelis intercessor in cœlesti Jerusalem, cum Christo, beatissima sorte, sanctis conjunctus civibus, superna lætus consistit in arce. Hæc de amantissimo Patre, cujus venerabilem vitam et gloriosum finem, ut mihi in notitiam venire facias, totis viribus exopto. Aliud ex sodali collegio dicere menti occurrit, tuamque dulcissimam charitatem intimis obsecro præcordiis, et tanquam tuis pedibus præsentialiter prostratus humiliter imploro, ut fraternam dilectionem, quam inter nos communis

Pater beatæ recordationis et sanctæ memoriæ Bonifacius, Christi annuente charitate, sacris conciliavit verbis, almis univit oraculis, non transitoria, sed fixa recordatione tua recondas in corde, quia mihi et tibi valde profuturum, omni ambiguitate postposita, scio, si tam egregii doctoris præcepta implere conamur, meque omnium fratrum tuorum minimum in meritis, fraterna charitate instruere, sacris munire præceptis, almis orationibus fulcire, o amantissime præsul, non pigeat, unde fatcor et fida promissione spondeo, vestris sincerissimis jussionibus, juxta qualitatem virium, in omnibus libenter me esse secuturum, et firma dilectione fidam amicitiam, quandiu spiritus hos regit artus, vitalisque status his moribundis inhabitat membris, tecum servare intima charitate, Deo teste, profiteor, et totis viribus medullitus admodum exopto, ut fiat, Christo tribuente, quod scriptum est: *Erant illis omnia communia*. Sed hæc omnia, quæ breviter a nobis dicta sunt, si Deus omnipotens prosperum concedit iter, per gerulos istarum litterarum plenius et verbaliter tibi indicare curavi. Misimus præterea parva munuscula, quæ optamus, ut ea dilectione accipiatis, quæ a nobis, Deo teste, destinata sunt.

Vestram dilectionem pro nostris excessibus intercedentem Christum tueri dignetur.

Librum Pырpyri metri ideo non misi, quia Guthbertus episc. adhuc reddere distulit. Immanuel. *Epistola Milredi episc. offerenda Lullæ episc.*

EPISTOLA XVI.

TRECEA LULLO.

(Circa annum Domini 756.)

Domino in Domino venerabiliter diligendo et delectabiliter honorando Lullo, episcopatus infula fungenti, Trecea supplex vernaculus in Christo perennem salutem.

Tempore nuper transacto, vestræ almitatis litteraturam usque ad nostræ mediocritatis præsentiam fido gestante gerulo delatam, exultantibus pectorum præcordiis, et lætis oculorum orbibus contemplantes satis libenter suscipimus, et maxime in vestra sancta promissione, quam ordo apicum vestrorum innouit, ut vestris assiduis ac sacris orationibus nostram fragilitatem defendere vellet; ita et nostra imperfecta mediocritas undique pene in omnibus bonis vestram beatitudinem orationibus intimis, Deo ubique auxiliante, deprecando poscere Deum prompta est, necnon et dilectionem fraternitatis erga vestram clementiam observare, secundum vires, velle demonstramus, Domino nostro Jesu Christo docente ac dicente: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem*. Et item: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*, etc. Item de eadem beatus Petrus primus et princeps apostolorum sententiam promulgavit, dicens: *Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus, ante omnia mutam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum*, etc. Nostra ergo, ni fallor, parvitas non utcunque vestris

A est roborata oppido patrociniis. Idcirco audaciter rogare præsumimus vestram beatam ac vere benedictam almitatem, ut nostram, viventes in hac lacrymarum valle, tum etiam in gloriosissima præsentia Dei in Christo pausantes, assiduis ac sacris orationibus vestrarum studiis Domino Deo commendare dignemini. Ego quoque minimus Ecclesiæ servus supplici per Dominum deprecatione rogitō, ut me cum mea familia, Domino Deo cuncta dispensante ac rite regente, inter ceteros fideles vestros amicos in commune benigne suscipiatis, qui proprio dicor nomine Aldbertus, diaconatus officio fungens, licet indignus, ut, sancti gradus ministerium olim acceptum vestris saluberrimis intercessionibus meliorando, de die in diem proficiam. Almitatem vestram pro nobis orantem summus arbiter orbis ab alta cælorum arce tueri dignetur. Valete in Domino.

EPISTOLA XVII.

BOTWINUS LULLO.

(Circa annum Domini 756.)

Venerandæ dignitatis Lullo episc. Botwinus abb. optabilem in Christo salutem.

Litteræ auctoritatis tuæ, quas cum divinæ pictatis studio usque ad nos direxisti, lætificaverunt me valde, quia tu, imbre cælestis roris illectus, ulimum me servunculum servorum Dei cum tam magna fide divini amoris, sæculariæque dignitatis munere visitare dignatus fuisti. Gratias ago Deo, petens, cum intimæ charitatis desiderio, ut fides fautor mihi per celsitudinem sanctitatis tuæ coram Christo Jesu existas, in istoque sæculo serena mente amicus, si rector rerum omnium istius vitæ in itinere me longius super te sudare dijudicat, ploro indesinenter precans, cum omni caterva quæ Christo Domino sub mea conditione deservit, divinæ misericordiæ solatia animæ tuæ largiri, ut tu simili modo ecclesiarum tuarum subsidia mihi præstare digneris. Hæc quoque modica munuscula, id est, III lacernas almitati tuæ mitto optans ut accipias sint.

EPISTOLA XVIII.

WICBERTUS LULLO.

(Circa annum Domini 756.)

Sanctissimo et a Deo semper conservato Domino Lullo episcopo Wicbertus, servus servorum Dei, quanquam indignus, abbas, et vester in omnibus (Deus scit) bene cupiens et fidelis in vinculo charitatis colligatus.

Suscepta vestra almonia, sancta cuncta congregatio monachorum nostrorum pro vobis singulos psalterios Domino decantaverunt, et sacerdotes quinas missas fecerunt per singulos, ut vobis Dominus pristinam sanitatem tribueret, et dixi ad illos, vestra voluntate, quomodo nobis mandastis ut hic pro tempore devenire jubebatis. Sed omnes consona una concordia responderunt, quod nostra voluntas in omnibus est, ipsius infirmitati compatescere, et sicut proprium fratrem, ita circa illum omni charitate impendere. Sed vos modo si vultis, sic venire potestis, quomodo in vestra propria casa, et nos in om-

nibus, in quantum possumus, charitate pristina exi- A
gentes vestræ volumus compatescere infirmitati. In
orationibus tuis commendamus nos, sanctissime Pa-
ter.

*Sanctissimo Domino Lullo episcopo.
Wicbertus indignus abbas.*

EPISTOLA XIX.

OTO LULLO.

(*Circa annum Domini 756.*)

Domino sancto sanctorum, quia meritis cœquando,
et a nobis cum summa veneratione diligendo, in Chri-
sto Patre Lullo, coepiscopo, Doto servus servorum
Dei, etiam et omnes monachi sancti Petri apostolo-
rum principis degentes sub norma sanctæ regulæ,
æternam in Domino nostro Jesu Christo ad sancti-
tatem vestram destinare curavimus salutem.

Ideo omnipotenti Domino gratias referimus, ut
omnia quæ circa vos sunt prospera non solum habe-
mus, sed et hoc indesinenter sedulis precibus Do-
mini misericordiam imploramus, ut vitam vestram
longævus faciat hic gaudere temporibus, et illic in
æterna beatitudine cum sanctis suis faciat pariter
exultare triumphis. De cætero quamvis, amantis-
sime Pater, terrarum longitudine separati videmur,
tamen et terrarum longinquitas non dividit mente,
quos charitas divina conjunxit in corde. Idcirco
comperiat sanctitas vestra quia nos omnes per obe-
dientiam almi Patris nostri Dodoni abbatis, et pro
amore vestro et omni sollicitudine pro vobis, et de-
votissima sancta congregatione vestra, a Deo vobis
commissa, in nostris assiduis precibus Domini mi-
sericordiam exorare non desinemus. Igitur cum sa-
lutationis officiis, humili prece deposcimus, ut istam
familiam Christi et sancti Petri in vestra comme-
moratione semper habeatis, et ipsi pro omnibus ami-
cis vestris tam episcopis et eorum clero, quam abba-
tibus et eorum monachis, seu et abbatissis vel Deo
dicatis in ista congregatione sancti Petri, oratores
vestros tam vivos quam defunctos in vestra mercede
commemorare faciat, ut in sacris orationibus illo-
rum eam assidue memorare debeant, quatenus per
illorum suffragia olim optatam adire mereamur pa-
triam paradisi. Similiter vos deprecamur, ut omnium
amicorum vestrorum nomina tam vivorum, quam
defunctorum, per presentem fratrem nostrum Sa-
ganaldum, per breve ad nos dirigere faciat, ut
ipsos, sicut de aliis fratribus nostris facimus, ita in
nostris assiduis orationibus ipsos memorare de-
beamus. Gratia regis cœlestis custodiat vos semper.
Amen.

*Indiculus directus ad Lullonum episcopum. Emma-
nuel nobiscum sit.*

EPISTOLA XX.

CYNEARDUS LULLO.

(*Circa annum Domini 756.*)

Domino magnopere diligendo, et nobis omnium
peregrinantium pro Christi amore charissimo, Lullo
antistiti, Cincardus indignus, ut vereor, episcopus
in Christo salutem.

Libenter ergo suscipimus fratrem a te ad nos
usque directum cum dulcedine donorum vestrorum
et gratias agentes Deo et vobis, quod nostri memo-
riam ex tam remotis terrarum finibus facere digne-
mini. Et ideo sicut vos velle comperimus memores
sumus vestri, in quantum, Domino adjuvante, per-
mittimur semper in orationibus nostris, obsecrantes,
ut quod fideli, ac firmissimo cœpistis animo usque ad
finem firmum retineatis; quanquam multis tribula-
tionibus tundimini, quas propemodum omnes sancti
soliti sunt a sæculo perpeti, nec tamen Christo coope-
rante, et confirmante illorum constantiam, deficie-
bant. Modici munusculi quantulamcunque parvita-
tem charitatis tantummodo intuitu direximus, hoc est,
de nostro vestitu indumentum, sicut solent prode-
cessores nostri predecessoribus tuis destinare, quod
te pro humilitate et mansuetudine tua suscipere di-
gnanter, et uti suppliciter precamur.

Valere te in Christo, et ut vere felicem semper
optamus.

EPISTOLA XXI.

... LULLO.

(*Circa annum Domini 756.*)

Sanctissimo atque venerabili episcopo Lullo ser-
vus servorum Dei visceralem in Domino salutem.

Rogo te, o dilectissime frater, sicut optime in te
credo, ut non immemor sis, sed semper sagacissima
mente ad memoriam reducas antiquam amicitiam
nostram, quam inter nos habuimus in Maldubia ci-
vitate, quando Eaba abbas in amabili charitate nutri-
vit, et hoc signum recorder, quod pro nomine voca-
vit te Irtel, idcirco salutatur te Hereca abbas in sa-
lutatione sancta, et omnis congregatio quæ in sua
cœnobiali vita manet, quia dignos nos in memoriam
habuisti tecum. Qui autem perseveraverit in pace
usque in finem, hic salvus erit. Vale, amabilis, feli-
citer in ævum; meus dilectus, Deo electus, quia cha-
ritas pretium non habet.

Hoc signum Hereca abbatem fecit.

EPISTOLA XXII.

CUTHBERTUS LULLO.

(*Circa annum Domini 758.*)

Desiderantissimo et suavissimo in Christi dilectione
amico Lullo episcopo, et omnium antistitum charis-
simo, Cuthbertus discipulus Bedæ presbyteri sa-
lutem.

Gratanter quidem munuscula tuæ charitatis suscepi,
et eo gratantius, quo te hæc intimo devotionis
affectu mittere cognovi, id est, holosericam ad
reliquias beatæ memoriæ Bedæ magistri nostri, ob
recognitionem et illius venerationem destinasti. Et
rectum quidem mihi videtur ut tota gens Anglorum
in omnibus provinciis, ubicunque reperti sunt, gra-
tias Deo referant, quia tam mirabilem virum, prædi-
tum diversis donis, tamque ad exercenda dona stu-
diosum, similiterque in bonis moribus viventem,
Deus illis in sua natione donavit, quia per experi-
mentum, ad pedes ejus nutritus, hoc quod narro di-
dici. Similiterque mihimet ipsi coopertorium varia-

tum ad legendum scilicet, propter frigus, meum corpus misisti, quod videlicet omnipotenti Deo et beato Paulo apostolo ad induendum altare, quod in ejus ecclesia Deo consecratum est, cum magno gaudio dedi, quia et ego sub ejus protectione in hoc monasterio XL et III annos vixi. Nunc vero, quia rogasti aliquid de opusculis beati Patris, cum meis pueris, juxta vires, quod potui tuæ dilectioni præparavi: libellos de Viro Dei Cudbercto, metro et prosa compositos, tuæ voluntati direxi; et si plus potuissem, libenter voluissem, quia præsentia præteritæ hiemis multum horribiliter insulam nostræ gentis in frigore, et gelu, et ventorum, et imbrium procellis, diu lateque depressit, ideoque scriptoris manus, ne in plurimorum librorum numerum perveniret, retardata est; sed et ante sex annos per Hunwini meum presbyterum illum ad vestra loca advenientem, et Romam videre desiderantem, aliqua parva xenia, cultellos videlicet XX et gunnam de pellibus lutrarum factam tuæ fraternitati misi. Ille quoque presbyter Hunwini, ad urbem quæ vocatur Beneventum perveniens, ibi de hac luce migravit. Quapropter neque per illum, neque per tuorum aliquem, utrum ista ad te pervenerint, ulla responsio unquam mihi reddita est. Duo vero pallia subtilissimi operis, unum albi, alterum tincti coloris cum libellis, et clocam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curavi, precorque ut meam petitionem et necessitatem non spernas. Si aliquis homo in tua sit parochia qui vitrea vasa bene possit facere, cum tempus ardeat, mihi mittere digneris, aut si fortasse ultra fines est in potestate cujusdam alterius, sine tua parochia, rogo ut fraternitas tua illi suadeat ut ad nos usque perveniat, quia ejusdem artis ignari et inopes sumus, et si hoc fortasse contingit ut aliquis de vitrifactoribus cum tua diligentia, Deo volente, ad nos usque venire permittatur, cum benigna mansuetudine, vita comite, illum suscipio. Delectat me quoque cytharistam habere, qui possit citharisare in cithara, quam nos appellamus rottæ, quia citharam habeo, et artificem non habeo. Si grave non sit, et istum quoque meæ dispositioni mitte. Obsecro ut hanc meam rogationem ne despicias, et risioni non deplaces. De opusculis vero beatæ recordationis Beda, quæ adhuc descripta non habes, promitto, me, si vixerimus, tuæ voluntati adjuvaturum.

Abbas Cuthbertus te te bis terque salutatur;

Te Deus omnipotens salvum conservet in ævum.

EPISTOLA XXIII.

EANVULT LULLO.

(Anno Domini 758.)

Domino desiderabili ac jure venerabili episcopo Lullo, Eanvult servus Christi Jesu, una cum conservis qui mecum his in locis suavissimum Evangelii jugum, pro invenienda in cælis requie, trahere gaudent, perpetem in Domino salutem.

Multo quidem gaudio delectatum est cor nostrum, magna exultatione lingua insonuit, dum tante vir

eruditionis ac sanctitatis ad nos litteras transmisserat. Quapropter paternam tuæ charitatis reverentiam obsecramus, ut, semper nostri memor, supplices pro nobis domino preces offerre non refrageris. Nos tui quoque scias semper existere memores, si quid tam vilium apud dominum valet deprecatio servorum. Quantum enim de omni vestro profectu gavisi sumus, quantamque super his quæ in peregrinis locis vobis prospera cesserunt lætitiâ habebimus. . . . Teque nosse volumus, quod hoc perpetualiter studium charitatis tuis meritis impetrantibus observemus, tuamque per omnia desideremus amicitiam mereri, volentes ipsi per omnia tuæ justæ voluntatis obtemperare decretis, etiam Domino procurante, quando, ingrediente te viam universæ terræ, atque ad præmia vitæ æternæ perducto, tunc tuum venerabile nomen disponimus scribere cum nominibus episcoporum nostrorum, et cum nominibus omnium præcedentium fratrum hujus monasterii.

Orantem pro nobis almam paternitatis vestræ coronam cœlestis gratia custodiat, dilectissime in Christo antistes. . . . Scripta indict. 11, 1x Kal. Junias. . . . ad Jul. epist. epis.

EPISTOLA XXIV.

MAGINGOOZ LULLO.

(Circa annum Domini 760.)

Venerando sacerdoti Christi, amore prorsus ac reverentia pariter a nobis studio peculiari contuendo, Lullo episcopo Magingooz servus servorum Dei perrennem in Christo salutem.

In colloquio nuper venerandæ fraternitatis tuæ comperti sumus quia, consilium proximi nostri cujusdam minus caute, sæculi impedimento postposito, viam religionis ingredi cupientis prudentia vestra prævenire utiliore consulto voluisset, qui, ut arbitror, his verbis velut nomine proprio designatur. Et revera visum mihi est non posse aliter compleri circa illum officium debitæ felicitatis et charitatis, nisi cum pluribus de eadem re necessario sollicitis contendatur, ne hunc fortasse in ipso itinere, quo desiderium ducit, incauta præsumptio supplantet, sed necessarium existimo ut diligentius provideatur quo pacto vel quibus instrumentis peregrinationis illius, quam sicut scitis optimam. . . . stabilitas et possibilis, et si fieri potuerit, inexcusabilis, iis cum quibus præsens causa agenda est, omni rationis firmitate comprobetur. Quapropter nostræ parvitati indicare per litteras non gravemini utrum vobis videatur an communi sermone unius epistolæ exhortatio mittatur, an uterque nostrum a se epistolam mittat; quod si profuturum judicetis ut commune et unum a nobis idiculum dirigatur, a vestra charitatis industria rogo ut conficiatur. Si non fieri posse putaveritis, ut sine aliqua præsentia, sive nostra, sive cæterorum servorum Dei, collatione consulto decenti et integra soliditatis valeat perpetrari. Quid itaque vobis profuturum videatur, ut a nobis hac de re agatur per litteras, hujus

epistunculae portitori traditas, nobis indicare dignemini.

Valere bonitatem vestram, et in Christo proficere pro nobis intercedentem, integris desideriis optamus.

Off. Lullo episc.

EPISTOLA XXV.

CUTHBERTUS LULLO.

(Circa annum Domini 760.)

Domino in Domino dilectissimo et fidelissimo amico Lullo episcopo Cuthbertus abbas salutem.

Multum gratanter accepi litteras sive etiam munera, hoc est, villosam et sindonem, quæ tua fraternitas ad me mittere dignata est; et eo gratantius, quod ex intima charitate ea destinata esse non ambigo. Unde recompensationem beneficii istius reddens et ipse tui quotidianis in precibus curam habere non cesso; simul etiam nomina fratrum quæ ad nos misisti cum nominibus hujus monasterii fratrum dormientium in Christo scripta continentur, ita ut pro illis nonaginta et eo amplius missas facere præceperim. Insuper etiam librum, quem clarissimus Ecclesie Dei magister Beda de *Ædificio templi* composuit, ad consolationem tuæ peregrinationis mittere curavi, tuam fraternitatem humiliter obsecrans, ut olim conductæ inter nos amicitie fœdera usque ad finem firmam custodire digneris, in hoc videlicet maxime, quod cum tuis omnibus, quos tibi divina dispensatio voluit esse subjectos, pro infirmitatibus meis apud supernum Judicem sedulus intercessor existas. *Lullo episc.*

Dominus omnipotens fraternitatem tuam in suo semper amore conservet.

EPISTOLA XXVI.

CENE LULLO.

(Circa annum Domini 760.)

Domino beatissimo omnique honore nominando Lullæ episcopo Cœna, servus servorum Dei, perpetuæ gratiæ salutem.

Acceptis tuæ beatitudinis, Pater excellentissime, litteris, multa sum lætitia delibutus, ita ut totis præcordiorum intestinis gaudens lacrymaverim, beatum mihi ac profuturum æstimans tanti Patris perfrui amicitia, ideoque omni cordis aviditate tuam desiderabilem amplector pietatem, tua inhianter condelector charitate, ea potissimum causa, quia salutaria dilectionis præcepta divinitatis, indita nobis rememorans, nec non et aliquandiu fautorem sive consiliarium adoptans laboribus nostræ parvitatibus, quem misericors omnium bonorum largitor nobis, in te sua benigna providentia, ut credimus, præordinavit. Quapropter, dulcissima frater, in quascunque sanctæ pacis ditiones vocabis, lubens, festinus gaudensque totus, pleno corde advenio. Insuper plurimis obsecrationem lacrymis deprecor, ut nostri quantulamcunque in tuis sanctis orationibus habere memoriam digneris, semperque bene cœptæ pietatis promissa custodias, quia perseveranti gloriosa retributionis impenditur corona, mercesque futuræ felicitatis in fine cujusque operis spectatur. Illud

PATROL. XCVI.

A vero quod de libris inquisisti marinis æstibus terram advectantibus, omnino incognitum est. Cæterum libri cosmographicorum necdum nobis ad manum venerunt; nec alia apud nos exemplaria, nisi picturis et litteris permolesta. Jam sæpius mihi met perscribere destinavi, sed nondum potui scriptores acquirere. Forte tuis adjutus supplicationibus. . . .

Sanctitatem vestram ad protectionem electæ Domine rex salvator conservet in ævum.

Scio, Pater, quod illa, quæ charitatis gratia misi, a te visa non sunt.

Vivendo felix Christi laurate triumphis,
Vita tuis, sæclo specimen, charissime cælo,
Justitiæ cultor, verus pietatis amator,
Defendens vigili sanctas tutamine mandras,
Pascua florigeris pandens prædulcia campis,
Judice centenos portans veniente maniplos.

Offe-	}	Lullo E-	vi-	}	} claris-
renda					

EPISTOLA XXVII.

WIGBERTUS LULLO.

(Circa annum Domini 760.)

Domino vere beato, atque omni officio charitatis venerando, Lullæ, gratia Dei episcopo, Wigbertus presbyter vester fidelis servus, optabilem in Christo salutem.

Vestris orationibus meritisque suffragantibus, et credimus, et pro certo scimus prospera nobis terrarumque itinera, postquam a vobis ieramus, Dei clementia concessit, amicosque et propinquos sanos et incolumes invenimus, benigneque suscipientes omnia necessaria tam in possessionibus agrorum, quam in jumentis et pecoribus, aliisque suppellectilibus sponte nobis tribuentes. Quod usque hodie absque ulla contradictione habentes, tuam sanctam fraternitatem, quæ nos semper et auxiliare et consolari consueverat, rogamus et obsecramus, ut videas et consideres quid nobis utilius agendam sit. Omnia enim tibi nota sunt; et hoc et illud, quidquid tibi bonum videtur, hoc me fateor læto animo fecisse, et tuum salubre consilium in nullo sprevisse. Si tibi videtur, ut ad vos pergamus, utiles, ut credimus, viri et, ut aiunt, boni in nostro desiderant esse comitatu. Sin autem aliud magis placet, tamen, cum nostro sermone et consilio, si vobis sic videtur, visitare vos desiderant. De qua re, quid tibi videtur fac sciamus. Sed quid magis moror, cum litteræ tuæ usque ad nos veniunt, quas, ut isti præsentis portitori litterarum mearum tribuas, obsecramus. Quidquid in illis jusseris, aut suaseris, Deo permittente et vita comite, libenter faciemus. Multum jam vitæ nostræ fluctuando et negligendo, quasi extra nos fusi, peregrimus, tandem aliquando ut ad nosmetipsos redeamus, necesse est, scientes scriptum quod *qui seminat in lacrymis, in gaudio metet*, et ideo vitæ nostræ quod restat, cum vestro consilio transcurrere curamus. De cætero autem si in re-

gione gentis nostræ, id est Saxonum, aliqua janua divina misericordiæ aperta sit, remandare nobis id ipsum curate quam multi, cum Dei adjutorio, in eorum auxilium festinare cupiunt. Omnia ista, quæ longo sermone perstrinximus, tu mente pervigili, quid melius agendo sit, pertracta, et litteris intimare tua sancta almitas non pigeat. Vale.

Ego Hrotauin dudum aliquid vobiscum; nunc autem his positus scribens, legens docensque quod legi, multum vos saluto, obsecrans ut eo animo erga me sitis, quo et ego circa vos sum positus. Saluta omnes qui amant Dominum nostrum Jesum Christum.

EPISTOLA XXVIII.

BREGWINUS LULLO.

(Circa annum Domini 761.)

Reverendissimo et in Christo charissimo fratri Lullo episcopo Bregwinus, servus servorum Dei, perpetuum in Christi nomine salutem.

Dies multi elapsi sunt ex quo sollicitus præoptabam ut, Deo favente, tandem aliquando prosperum iter lîgatarii nostri perveniendi ad beatitudinem vestram invenire potuissent, quia per hos, scilicet proxime decurrentes, priores annos, plurimæ ac diversæ inquietudines apud nos in Britannia, vel in Gallia partibus audiebantur existere, et hoc videlicet nostrum desiderabile propositum sæpius impedit, et perterrendo valde prohibuit, de nostris aliquos ad vos dirigere per tam incertas tamque...

crebris infestationibus improborum hominum in provinciis Anglorum, seu Gallia regiones. Nunc vero pace ac tuitione nobis a principibus indubitante undique promissa, misimus ad vestram venerabilem fraternitatem hunc præsentem fratrem istarum præsentium litterarum bajulum, Hildebertum nomine, reminiscens videlicet qualiter inter nos in civitate Romana de amicitia conventionem colloquium habuimus, quod etiam nos servare omnimodis confitemur. Quapropter et ego nunc, in tuæ beatitudinis amicitia confisus, ut secundum quod antecessores nostri inter se facere non cessarunt, ita etiam et nos facere similiter adoptamus, mittentes verba suavissima salutationis et pacis, ut evangelicus sermo impleatur in nobis, quod ejus esse discipuli mereamur, si dilectionem habuerimus ad invicem. Idcirco tibi indicare curavimus nos misisse vestra beatitudini parva quædam munuscula, non parva siquidem charitate, id est capsam unam ad officium quidem sacerdotale ex ossibus fabricatam, salutationis tantummodo ac benedictionis causa, per Isardum religiosum presbyterum, ut ea quæ nostra sunt benigne suscipiatis, similiterque et nos a vobis bona recipere optamus. Insuper etiam, omnium fratrum charissime, pro certo hoc nosse tuam amabilem devotionem, Deo teste, desidero, quod tuæ sanctitatis dilectionem in eundem charitatis locum et fraternæ societatis consolatio liberenter suscipio, atque tenacius contineo, in quo

videlicet beati Patris et prædecessoris tui Bonifacii semper inconcussa mansit, et permanet jugiter reposita dilectio, ut inter nos quoque et nostros deinceps familiaris ac spiritualis amicitia, tam ad animarum nostrarum remedia in orationibus et missarum celebrationibus, quam ad hujus vitæ quæque competentia fraternaque suffragia, fideliter persistat. Et ad hæc quoque quæ præmisi magnopere tua perfici dilectione desidero, ut omnes quippe sacerdotes Dei et familias benedicti ac beati Bonifacii martyris Christi diligenter atque amabiliter ex meo salutem nomine, horterisque pro nobis, quod et pro ipsis facere non desistimus, omnipotentis Dei clementiam obnixis exorare precibus. De redditione vero præfatæ rei, sive per verba fratris nostri, sive etiam per litteras tuæ fraternæ pietatis nos certiorare jubeto.

Omnipotentis Dei pietas sua nos protectione muniat, et ad utilitatem plurimorum sanctitatis vestræ sincerissimam charitatem jugiter in perpetuum conservare et custodire dignetur.

Diem vero depositionis religiosæ Christi famule Buggan celebramus, quæ fuit honorabilis abbatissa, cujus etiam dies depositionis fuit vi Kal. Jan. Rogavit me obnix, dum adhuc viveret, ut hoc vestræ beatitudini transmitterem. Et sicut speravit et credidit, ita facere curate, quoniam illius pater atque patronus fuit in Christo Bonifacius episcopus.

EPISTOLA XXIX.

LULLUS CENÆ.

(Circa annum Domini 762.)

Fratri et consacerdoti et meritis domino charissimo Cœna summi pontificatus infula prædito Lullus, exiguus servus servorum Dei, perennem in Christo salutem.

Sanctitatis tuæ reverentiam humiliter obsecro, ut amicitia inter nos olim in Christo copulata, et semel cœpta, perpes reminisci digneris, ne veterescat, et oblivioni tradatur, quam coram Deo fidei sponcione pepigimus. Pro nomine enim Christi in contumeliis et tribulationibus gloriari et exaltatione Ecclesiæ ejus nos oportet, quæ quotidie tunditur, premittitur atque fatigatur, quia moderni principis novos mores novasque leges secundum sua desideria condunt. Idcirco excellentiam tuam jugem precatricem, pro animæ nostræ salute, subnixâ prece flagitamus. Assiduis enim corporis ægritudinibus cum mentis anxietate cogor ex hac ærumnosa et periculis plenissima vita exire, redditurus pio et districto judici rationem. Parva vero munuscula dilectioni tuæ direxi hoc est, pallam holosericam optimi generis, per gerulum harum litterarum. Obsecro ut quemlibet horum librorum acquiras et nobis mittere digneris, quos beatæ memoriæ Bedæ presbyter exposuit, ad consolationem peregrinationis nostræ; id est, in primam partem *Samuelis usque ad mortem Saulis, libros quatuor*; sive in *Esdram et Nehemiam libros tres*, vel in *Evangelium Marci libros quatuor*.

Gravia forte postulo, sed nihil grave veræ charitati A comite et Deo concedente, quod jubes facere injungo.

EPISTOLA XXX.

WIGBERTUS LULLO.

(Circa annum Domini 762.)

Domino sancto ac beatissimo, mihi que omni affectu semper charissimo Lullæ gratia Dei episcopo, Wigbertus exiguus familiæ Christi famulus immarcescibilem sempiternæ sospitatis salutem.

Magno etenim repletus sum gaudio, valdeque hilarescit animus meus, cognita a nonnullis tua beata sospitate. Quamque, Dei gratia concedente, ut semper habeas, optamus, memoremque nostri esse in tuis sanctis orationibus, Dei gratia concedente, et vestris meritis, ut credimus, suffragantibus, sani et incolumes mare transivimus, nostramque patriam pervenimus, vestraque dona episcopis, abbatibus amicisque vestris, sicut mandastis, obtulimus, et juxta modulum nostri ingenii sermones vestros voluntatemque vestram intimare curavimus. Illi autem fecerunt sicut erant edocti, humiliter, gratanterque omnia suscipientes, magnas gratias Christo Domino referentes, quod vestra sublimitas eorum parvitatem per dona simulque et litteras visitare dignata est, vestramque communionem et familiæ vestræ instantiam orationum semper se habituros esse promittentes; nomenque tuum, ut charissimorum suorum, in ecclesiis suis scribentes, memoriamque tui tam viventis quam defuncti jugiter se facturos esse dicentes, epistolasque suas missuros scriptas, ut eis placet, promittentesque omnia quæ longis sermonibus protrahimus, iste portitor harum litterarum melius tibi verbis intimare potest, quem vobis presbyterum transmittere curavimus; credentes et confidentes quod utile vas sit in domo Domini, quem ut benigne et honorifice, si dignus sit, vestra sanctitas accipere et habere, quod noster et amicus et propinquus est, dignata sit, obsecramus. Nos igitur, quod celare non possumus, amici et propinqui nostri isto anno a se relinquere nolunt, et ideo nuntios meos ad vos direxi, obsecrans vos humili supplicatione per Domini misericordiam, ut et vota et sermones, quibus me vobis constrinxisti, vestra clementia dignata sit absolvere et per epistolam tuam, per nuntios meos revertentes, D quid agere debeam insinues. Fateor enim tibi per Deum, quod contra voluntatem tuam nulla dignitas sæcli, nulla sæcularis amicitia, me hic ullo modo retinere potest, maxime quod te super omnes homines diligo, Deus testis est. Si autem tibi bonum videtur, et tua voluntas sit, ut ad vos citius redeam, Ecclesiæ et ministerio, cui ante deservivi, me dimittas, de uno rogo et obsecro. Amici mei, et propinqui, et terram, et hæreditatem suam mihi promittunt, et dare disponunt, si hic cum eis permanere dispono; sin autem, alienis permittere debent. Et ideo, mi domine, per prudentiam tuam et cor intelligibile, pertracta et considera quid tibi bonum videtur et rectum, et illud, ut dixi, per litteras intima. Vita etenim

comite et Deo concedente, quod jubes facere dispono.

Orantem pro nobis beatitudinem vestram divina misericordia in perpetuum custodire dignetur. Amen.

Ego Hrothuin quondam cognatus tuus, salutem te, multum rogans ut quidquid reprehensibiliter scriptum reperies, indoctæ imperitiæ ignoscas. Utinam, si fieri potest, et si Dei voluntas sit, ut facie ad faciem videamus nos! Vale et memento nostri.

Macarius polaris aulae pantocrator clemens diu vos incolumes custodire dignetur.

EPISTOLA XXXI.

LULLUS CUTHBERTO.

(Circa annum Domini 772.)

Sancto ac venerabili in Christo fratri Cuthberto abbati Lullus exiguus servus servorum Dei perennem in Christo salutem.

Charitas quæ desinere nescit nunquam veterascit, interni ardorem ignis vix in se sola continere valet. Idcirco placuit nostræ mediocritati de tua sospitate cognoscere, ut tecum in Domino gratularer, ut scires, quæ circa fragilitatem meam justo judicio Dei geruntur. Cogor enim continua corporis ægritudine de hac luce fugitiva, et valle lacrymarum, pio et districto Judici rationem redditurus migrare. Idcirco suppliciter obsecro, ut pro animæ meæ salute enixius Dominum depreceris. Misimus etiam tuæ dilectioni parva munuscula, unam pallam holosericam. Petimus etiam ut ad consolationem non solum peregrinationis, sed etiam infirmitatis nostræ, libros istos a beatæ memoriæ Beda expositos, mittere digneris, de Ædificatione templi, vel in Cantica canticorum, sive epigrammatum heroico metro sive elegiaco compositorum, si fieri potest, omnes; sin autem, de Ædificatione templi libros tres. Fortassis difficilis petitio, sed nihil arbitror esse difficile veræ charitati.

Usque ad decrepitam valeas ætatem cum omnibus qui tecum Domino Deo deserviunt.

Nomina quoque fratrum et amicorum nostrorum de hac luce migrantium tuæ charitati commendantes, quæ sunt...

EPISTOLA XXXII.

CYNEWULFUS LULLO.

(Circa annum Domini 772.)

Domino beatissimo et speciali amore venerando Lullo episcopo ego Cynewulfus, rex occidentalium Saxonum, una cum episcopis meis, nec non cum cæteris satraparum, æternam sospitatis in Domino salutem.

Tibi testificamur quod juxta modum nostræ possibilitatis, quidquid tua sanctitas desideraverit, sive jusserit, libenter agere parati sumus, ut cum reverendissimo et sanctissimo viro Dei prædecessore tuo Bonifacio pepigimus, sive in orationibus Deo devotis, seu in aliis quibuslibet rebus, in quibus humana fragilitas, Deo disponente, mutuis alterutrum sola-

tiis egere comprobatur; te pariter obsecrantes ut pro nostra parvitate, proque pace congregationis nostræ, Domino supplicare cum eis qui tecum invocant nomen Domini Jesu memineris. Istarum vero litterarum portitorem a vobis ante destinatum vestræ almitati committimus, quia fideliter vobis obedire in omnibus curavit.

Omnipotens Deus, qui dispersa congregat, et congregata custodit, ipse vos sua gratia protegat, et vestri laboris fructum in æterna patria nos videre concedat.

EPISTOLA XXXIII.

AMALARDUS ET WIDO LULLO.

(Circa annum Domini 774.)

Domino, et Patri Riculfo, archiepiscopo, quem gratia æterni Regis perpetualiter, ad salutem multorum, et Ecclesiæ catholicæ defensionem, conservare dignetur, Amalardus et Wido, omnisque congregatio sancti Petri ex monasterio Horbach, in Domino Deo salvatore nostro salutem præsumpsimus mittere.

De cætero notum sit pietati vestræ quia in quantum Deus nos exaudire dignatur, oratores vestri incessanter sumus, et attentius esse cupimus. Comperiat siquidem magnitudinis vestræ, quia misimus presbyterum nostrum, Macharium nomine, ad nostras ecclesias quæ in vestra parochia sitæ esse vi-

dentur, ut eisdem, solito more, officium perageret. Sed dictum nobis ab eodem presbytero fuit quod auctoritatis vestræ magnitudo haberet non ibidem eum esse officium divinum celebraturum, quia nescimus si aliqua suggestio auribus pietatis vestræ a Bernario episcopo pervenisset, quia idem dominus Bernarius episcopus misit ei unum caballum pascere de nostro stipendio, unde nos vivere debemus, nescimus si pro hac causa factum hoc sit. Nunc deprecamur ut accepta licentia idem presbyter a vobis, liceat ei Domino Jesu Christo et sanctorum eidem in loco reliquiis officium solito more persolvere, ne et domus Dei et reliquiæ illius honor sic remaneant sine sacerdote, lumine et officio. Nec nos non habemus illis in partibus sacerdotem qui illud officium ibidem peragere possit, nisi istum. Ideo deprecamur vos ut tale præceptum et licentia ei a vobis tribuatur, ne tam diu, sicut deprecari sumus, domus Dei et reliquiæ illius honor sic, sicut modo, remaneant.

Gratia Domini nostri Jesu Christi vos in præsentia faciat polere, et in æterna beatitudine feliciter secum regnare.

Obtineant, obtineant, quæso, preces nostræ auribus pietatis vestræ, electe Dei, quatenus et aliorum profecta merces vobis magna reddatur a Domino Jesu Christo.

ANNO DOMINI DCCXC.

ELIPANDUS, FELIX, HETERIUS,

TOLETANUS, URGELLENSIS, UXAMENSIS EPISCOPI,

ET

SANCTUS BEATUS

PRESBYTER.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Anton., Biblioth. Vet. Hisp.)

Enatus vero, cum exiret sæculum VIII, novus ob ignorantiam gementis sub jugo Saracenorum Hispanæ gentis error de persona Christi Domini nostri, puriorem Christianitatis aera, quo illius ætatis fides vivebat infecit. Quæ tamen ansam dedit alter ac recte sentientibus cudendi monumenta doctissima, scriptisque suis pudendas, si brevè non succurreretur, futuras maculas extergendi. Felix Urgellensis atque Elipandus Toletanus antistes mali fundus occasioque. Deceptus enim uterque contagione foras insidentium cervicibus aut e proximo blasphemantia Mahometanorum, Jesum Christum adoptivum Dei Filium appellare ac docere non erubuerunt. Quorum primus Felix in concilio Ratisponensi semel:

C idemque iterum cum Elipando, sive eorum hæresis in Francofordiensi damnata fuit.

Rem luculentius aliis Jonas Aurelianensis in libris adversus Claudium Taurinensem statim in limine his verbis narrat, nec sine eximia quadam nostræ gentis laude: « Disertissimos viros, et eloquentissimos, atque catholicæ et apostolicæ fidei invictissimos defensores Hispaniam protulisse manifestum est: quorum tantanda exempla, et documenta sequenda, quia in promptu habentur, et Ecclesiæ amplectuntur, ab eis, Christo favente, non absjure sancta salubriter instruitur et fovetur Ecclesia. Sed quoniam ne-pissime, et hæresiarchas simplicitatem catholicæ fidei perversis dogmatibus commaculare conantes, et